



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Vetitum à Concilio Lugdunensi ne iudices ecclesiastici cogantur censuras tollere, personis vel bonis captis; aut qui his utuntur, earum usu desistere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Theol. ep. ad Iuan. Antioch.

Concil. Ephes. parte 1. Act. v.

Covarr. pract. que l. c. 51. Bo radilla l. 1. p. 61. c. 18. m. 61.

C. Quicumque. 21. De sentent. excom. in 6.

decere quempiam decisionibus Imperatoris pro veritate editis adversari. Quod ad suspensionem attinet; Theodosius Ioannem Antiochenum ad communionem Cyrilli Alexandrini & Concilij Ephesini hortatus, interim donec inter illos pax restituta fuerit, vetat Ioannem ne ullas ordinationes vel depositiones tentet: *μηδεμία ἐξ ὁμοιωμάτων καταστάσεων, ἢ χειροτέσεων, ἢ χειροίας διαποσῆ χειροτονίας, ἀποστολῆται χειροτομία.* Hoc fortasse exemplo Iustinianus sibi licere putavit analem suspensionem à ministerio Episcopis irrogare. Sed attendere debuerat, à Theodosio hanc pœnam Ioanni Antiocheno indictam, quia sententiâ Ephesini Concilij jam antea fuerat adversus Ioannem decreta *ἀσθενίας & ἐξουσίας ἰσχυρῆς* suspensio, donec sententiæ adversus Nestorium latae adhæreret. Apud Hispanos obtinet ut Episcopi & Clerici qui mandatis regis non obtemperant, seu ad impertiendam tuitionem contra vim iudicum ecclesiasticorum in causâ ecclesiastica latis, sive ad repellendam invasionem quæ fit à Clericis adversus jurisdictionem secularem, aut ob quamcunque aliam graviolem contumaciam, iure civitatis seu *naturalitatis regni* priventur, & statim à regno expellantur, suisque redivitibus spoliuntur. Non quidem, inquit illi, per modum jurisdictionis ordinariæ, quæ in Clericis Regibus non competit, sed potestate quadam politica & œconomica, ut docent Covarruvias, & Bovadilla, & omnes scriptores Hispani. Minus ergo austerrum est remedium quod à Gallis usurpatur, quàm quo Romani Principes utebantur olim, quòve Hispani læsam auctoritatem vindicant, licet remedium nostrum ferro causas seu morbos curet potius quàm emplastro.

III. Enimvero quia quod iure niti poterat in quibusdam speciebus, ut plurimum in contemptum apertum jurisdictionis ecclesiasticæ & excommunicationum trahebatur à Principibus & eorum magistratibus, Concilium Lugdunense has bonorum capiones & personarum vexationes aliquando trucidatarum ob latas censuras sub pœna excommunicationis inhibuit. Relatum est decretum in collectione libri sexti Decretalium; sed majoris momenti apud nostros esse debet, quod in urbe Lugdunensi præsentè Gregorio X, Philippo III. Rege Francorum, Rodulpho Imperatore Occidentis, & Michaële Palæologo Constantinopolitano, Episcoporum omnium suffragiis latum est anno millesimo ducentesimo tertuagesimo quarto: *Quicumque pro eo quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoslibet*

ministros eorum, aut quoscunque alios excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu aliis in personis aut bonis suis vel suorum gravandi eos qui tales sententias protulerunt, sive quorum sunt occasione prolata, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicationis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integra revocarint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Infra: *Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, extunc ab ea non possint nisi per sedem apostolicam absolutionis beneficium obtinere.*

IV. Aliquis forte suspicabitur, nec injuriâ, constitutionem istam in regno receptam non fuisse, cum ulum contrarium saltem in capiendis bonis viguisse constet, etiam post illud decretum. Sed nolo exceptione illa constitutionem sanctissimam repellere, cum majorum nostrorum reverentia consecratam fuisse videam. Illam solam interpretatione juverunt, ne jura regia violaret. Voluerunt itaque decretum quoad illas censuras vel excommunicationes locum habere quæ nullæ non essent. Si enim aut quia à iudice non competente latae, aut alio manifesto vitio nullæ essent, cum excommunicationum vires neque nomen obtinerent, non existimarunt in iis speciebus decreto Concilij Lugdunensis magistratus regios deterrandos esse ab asserenda jurisdictione regia, si opus esset. Deinde bona capi dixerunt, non præcisè ut rescindatur excommunicatio, sed ut ab injuria regis auctoritati facta cessetur; unde per consequentiam excommunicatio dissolvatur. Hanc interpretationem accepto ferre debemus veteri cuidam chartæ à Tabulario Camerae Parisiensis petita: qua mandata continentur à Rege Francorum Philippo IV. Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi data, quando iis Legatis ad Pontificem Romanum usus est, ante annum millesimum trecentesium, hac occasione. Capitulum Carnotense interdicto & excommunicatione in ministros regios sævierat, quod ab Advocatis Capituli, hominibus læcis, tributa ceteris etiam civibus indicta exigentur, eo prætextu, quod privilegio antiquo ab iis dependendis excusarentur; quamvis decem tantum Advocatis immunitate concessa, Capitulum Advocatorum numerum auxisset. Statim à Conservatoribus privilegij ab apostolica fede Regibus indulti ne terræ domanij regij interdicto subjiciantur, mo-

E Regis Com. de Camp. 10. ff.